Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1625

Quelle:
Copyright:

addo Verſionem germ. titulo *Spiegel der Wyſsheit, Baſil.* 1520. 4. In his Editionibus Opus audit *Speculum Sapientiae*, aut *Apologeticus Cyrilli Epiſcopi;* ubi vero is ſederit, nemo prodit, niſi quod *Jöcherum* in *Lex.* video *Baſileam* innuere, et ablegare ad *Urſtiſium* et *Sim. Grynaeum*, apud quos nihil tamen reperio, unde inducor, opinionem hanc natam e male intellecta editionis mox *cit.* ſubſcriptione, quae ſic habet: *Durch Cyrillum Biſchoff, zu Baſel vſs tütſch transferiert.* Illud addendum: Deeſſe Codici noſtro ultimum *Corderii Apologum*, ejus vero loco adeſſe Perorationem, qua *Corvinianus* caruit; adſcriptum item eſſe alia manu *Apologum Araneae et Podagrae* forma epiſtolari, cujus initium: *Anilem tibi fabulam, ſed ex re* &c. et finis: *ſi malum omne uis pellere, pelle diuicias. Vale.*

II. *fol.* 97. Trialogus inter Patrem, et duos filios, quorum alter Clericus, alter Miles, hoc initio: *Temporibus Berengarij* (✠ a. 924) *huius nominis primi qui poſt lodowicum tercium Romanum cepit. alias rexit* (ſic) *Imperium. Erant duo germani fratres* &c. Horum, qui Clericus eſt, ſacri curionis munere a *Berengario* donatus ruri beatus agebat, cum illum Frater modis omnibus ad aulam revocare niteretur; ſed contrarium evenit; praeſente enim Patre Miles Fratris hortatibus ſaniora conſilia ſuſcipit; Pater vero corruptos Sacerdotum, Militum et Ruſticorum mores a Clerico ſibi deſcribi petit, et audit. Extrema piae hujus fictionis, quae recentiorem autorem ſapit, ſunt: *qui es reſtitutor ſalutis in primo parente perdite, ſis conſeruator eiusdem in nobis per gratiam reſtitute. Amen.*

III. *fol.* 118. p. 2. *Increpacio*, ut in ora infera, *hominis facta per angelum proprium per modum dyalogi.* Angelus clientem ſuum in officiis pietatis inſtituens ita orditur: *Aduerſum te hominem ingratitudinis vicio laborantem hic ſermo dirigitur* &c. Finit Homo erumpens in affectum his verbis: *vbi tu deus eum patre et ſpiritu ſancto viuis et regnas in ſecula ſeculorum Amen.*

IV. *fol.* 124. p. 2. *Dyalogus*, rurſus ex ora infera, *de quodam clerico qui voluit res ablatas in curia romana recuperare.* Initium: *Quidam clericus de ſtirpe Burgen. procreatus — dum poſt abſumptam hereditatis paterne ſubſtantiam egeſtatis ſimul et inopie coartaretur anguſtijs, videns, quod nec aduerſarijs ſuis reſiſtere, rapta quoque per eos bona et predia nequiret aliqualiter recuperare, cepit — tam curis quam eciam ſuſpirijs varijs circumuolui* &c. Ita conſtitutum reperit Magiſter amantiſſimus, cujus *ab ineuntis etatis primordio virge dorſum et ferule manum* expoſuerat, ſolatur, audit propoſitum adeundi *Curiam Romanam* pro ope, nec improbat; ſuadet tamen Clerico, ut ſecum IV. *Saccos*, primum *pecunijs*, alterum *recentibus nugis*, tertium *paciencia*, quartum demum *audacia* plenum deferat. Satyra ſat mordax autore, ut ſuadent